

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 89

DECANDRIA TRIGYNIA.

21

In agro Laconico. ♂.

*Radix* cylindraceo-fusiformis, biennis, infernè fibrosa. *Caulis* bipedalis, erectus, teres, fistulosus, geniculatus, pubescens, foliosus, paniculatus; infernè purpurascens; basi ramulosus, subcaespitosus. *Folia* radicalia, ut et ramulorum, petiolata, obovata, vel spatulata, obtusa; caulina sessilia, lanceolata, acuta, basi connata, villosa, ciliata; omnia integerrima, uninervia, venosa, laetè viridia, pubescentia. *Petioles* marginati, villosi-fimbriati, longitudine foliorum. *Panicula* patens, ferè trichotoma, pubescens, bracteolata, multiflora. *Bracteae* lanceolatae, acuminatae, pubescentes; superiores sensim diminutae. *Flores* magni, erecto-patuli, pedicellati. *Calyx* clavatus, virens, costis decem purpurascens, pilosis. *Petalorum unguis* lineares; *laminae* bipartitae, lobis angustis, obtusis, appendiculo omninò destitutis; suprà albis; subtùs incarnato-venulosis. *Stamina* exserta, *antheris* violaceis. *Receptaculum proprium* longiusculum. *Germen* exiguum, *stylis* brevibus, ferè imperfectis. An planta dioica?

a. Calyx, cum pedicello et bracteis.

b. Flos, calyce abrepto.

c. Pistillum, imperfectum ut videtur, receptaculo proprio insidens.

\*\*\*\* *Caulis paniculatus, vix dichotomus.*

TABULA 430.

SILENE RIGIDULA.

SILENE caule alternè ramoso patente, petalis bipartitis acutis; appendiculis quadridentatis, foliis lanceolatis glabris.

In monte Hymetto prope Athenas. ○.

*Radix* subcylindracea, fibrillosa, annua. *Caulis* pedalis, e basi ramosissimus, erectus, foliosus, gracilis, teres, rigidulus, geniculatus, glaber, internodiis medium versùs viscatis; ramis alternis, patulis, rarissimè dichotomis; ramulis filiformibus, unifloris, laevibus. *Folia* lineari-lanceolata, acuta, integerrima, uninervia, glabra; radicalia paulò latiora, conferta. *Flores* terminales, solitarii, erecti, elegantè rosei. *Bracteae* e foliis superioribus sensim diminutis, subulatae, exiguae. *Calyx* clavatus, scarosus, glaberrimus, decemcostatus, medio subconstrictus. *Petalorum unguis* cuneiformes, albi; *laminae* ad basin ferè bipartitae, lobis acutiusculis, roseis, venis saturatoribus; *appendiculae* albae, bipartitae, laciniis quadridentatis. *Stamina* alba, vix exserta. *Germen* ellipticum. *Styli* staminibus longiores, stigmatibus contortis, niveis, pubescentibus. *Receptaculum proprium* germine triplò ferè longius. *Capsula* ovata, nitida, fragilis, laevissima, ore sexdentata, pedicello, sive receptaculo communi, brevior.

a, A. Calyx.

b, B. Petalum.

C. Stamina, cum pistillo et receptaculo communi.

d, D. Capsula matura.

VOL. V.

G